

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa vobis optimos dies festos exoptat !



- ... Latinitas Europaea ? An universalis ? Utraque !* ☞ p. 2
- ... De conventibus Latinis Latine habendis responsum affertur* ☞ p. 4
- ... Ceterum lingua Latina vivat oportet. In hac re exempla trahunt ...* ☞ p. 5
- ... Audeto haecua pangere Latina !* ☞ p. 8
- ... Novistisne Academiam Apathistarum?* ☞ p. 10
- ... Discipuli Latine scribunt ! Optime !* ☞ p. 11
- ... Libri Latini lectores quaerunt. Hoc ad vos omnes pertinet.* ☞ p. 12
- ... De chronicis medicaevalibus agitur* ☞ p. 13
- ... Magistri, ecce tertia pars de institutis Romanis* ☞ p. 14
- ... Jam nuntiantur conventus anni proximi* ☞ p. 16

EPISTULA

AD CONSOBRINOS MEOS AMERICANOS

QUAM SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Interretis (Angl. Internet) ope feliciter factum est ut novos linguae Latinae amatores inveniremus, praesertim in Americis. Quo recenti communicationis instrumento, brevissimo temporis momento, res iungere possumus cum hominibus in America et septentrionali et meridionali habitantibus. Cum tam propinqui facti sint, non mirum est quod oriuntur nonnullae quaestiones de proposito nostro communi, quod est linguam Latinam modo vivido colere.

Unam ex his quaestionibus posuit Latinista Americae meridionalis: «Cur sub titulo *Melissae* inscribitur «*Europaea Folia*»? Nos Americani, aiebat, videmur exclusi!».

Respondere nequeo sine brevi revocatione *Melissae* ortus.

Crevi in Belgica, una ex exiguissimis Europae civitatibus. Insuper post alterum bellum mundanum omnes Europae occidentalis civitates apparuerunt nimis parvae in novo contextu universo atque impares duabus potentiis quae in orbe terrarum tunc dominabantur, i.e. Foederatae Civitates Americae septentrionalis et Foederatae Civitates Socialisticae Sovieticae. Quare iam diu maxime faveo proposito eorum, qui post alterum bellum mundanum conati sunt civitates Europaeas confoederare. Infeliciter hoc inceptum eo lentius progreditur quo scopus propior fit. Inter multa interposita obstacula, maximum pertinet ad linguarum diversitatem, quam Communitas Europaea non vult superare sed potius fovet.

Haec erant tristes cogitationes meae, cum anno 1973 fortuito inveni Latinitatem vivam. Adiectivum «vivam» tribuere linguae Latinae mihi tunc videbatur insanum. Studia enim secundaria apud Iesuitas feci, tempore quo linguae Latina et Graeca severe docebantur, sed constanter habebantur ut mortuae.

Primus motus Latinitatis vivae, quem novi, vocatur *Vita Latina*; in Francogallia anno 1956 ortus, iam erat moribundus cum anno 1975 eius ultimum conventum Pali (v. Pau in Francogallia meridionali) habitum participavi. Ibi moderatores, scopi originalis iam diu obliti, Latinitatem vivam tractabant ut ludum traditum et in maiorum

honorem celebratum.

Haec non sufficiebant ut de linguae Latinae vitalitate crederem. Verisimiliter numquam credidissem nisi anno 1976 Doctorem P.C. Eichenseer Saravipontanum (v. Saarbrücken in Germania) venissem, qui potius suis actis quam verbis mihi persuadere valuit Latinitatem vivam non esse ludum obsoletum, sed rem hodiernam efficacique instrumentum ad communicationem etiam cottidianam aptum. Inde usui linguae Latinae paulatim adsuevi, sed labore longo et arduo, propter egestatem discendi methodorum.

Lingua Latina mihi imprimis aperuit Germaniam, quae antea erat terra incognita, quin etiam hostilis ex memoria familiae. Sodalis Societatis Latinae Saravipontanae factus, multa itinera Latina per totam Europam feci, multa seminaria Latina participavi, multos egregios Latinitatis vivae cultores conveni... et multa comperi, quae aequales meos solent celari.

Imprimis stupefactus inveni quanta fuisset ubertas litterarum Latinarum in omnibus disciplinis usque ad undevicesimum saeculum. Animadverti linguam Latinam e cathedris universitariis consulto expulsam esse, ingravescentibus nationalisms Europaeis. Agnoscere debui linguam Latinam in Europa iam diu esse problema politicum.

Cum anno 1984 statuerem periodicum condere c.t. *Melissa*, mea sponte sub titulo adiunxi «*Europaea folia*», quia primum propositum erat monstrare quali bono gentes Europaeae se privarent, quae in malam nationalismi viam ducerentur a regentibus studio suae gloriae obcaecatis. Alterum propositum erat quam plurimos homines ubicumque habitantes ad sermonis Latini usum allicere.

Primum propositum spectat ad gentes Europaeas, quae maxime carent vinculo linguae supranationalis.

Alterum propositum spectat ad omnes gentes ubique terrarum habitantes, quae cultum Europaeum in heredum suum acceperunt. Qui cultus suas radices Graecas et Latinas habet in antiquitate, sed vere florere et ad omnes Europae regiones se extendere coepit a XII saeculo, uno



vehiculo diffusus quod est lingua Latina.

Quid de Americis? Novam Continentem, quam incolebant pauci indigenae, ante quinque saecula invadere coeperunt diversi Europaei, qui nunc multo frequentiores facti sunt quam indigenae. Advenae Europaei secum attulerunt nostram culturam classicam atque inter eos non defuerunt optimi Latinitatis cultores usque ad nostra tempora. Cum XVIII saeculo Foederatae Civitates Americae Septentrionalis constituerentur, lingua Anglica electa est, quae fieret omnium civitatum lingua officialis. Haec non est minima ex causis praepotentiae hodiernae harum Foederatarum Civitatum. Sed si totam continentem Americanam consideramus, ibi etiam apparet diversitas linguarum.

Foederatae Civitates Americae Septentrionalis non sunt increpandae propterea quod earum lingua nationalis necessario facta est lingua auxiliaris fere totius orbis terrarum. Sed lingua auxiliaris non vehit animi culturam. Quare, non minus hodie quam heri, tam in Nova quam in Vetere Continente, oportet iuvenes imbuantur nostra cultura Graeco-Latino-Christiana, quae humanismum genuit, i.e. singularum personarum respectum et sublationem. Cuius tamen singularis sublationis scopus non est amor sui; vera enim sublatio efficit ut singuli homines ad ceterorum bonum adhibeant sui ingenii facultates. Nam noster humanismus praedicat singularum personarum honestatem civitati magis prodesse

quam omnem formam regiminis.

Sunt hodie complures qui proclamant «mundialismum» instare, i.e. commixtionem diversarum culturarum. Sed, si hodiernam mundi scaenam consideramus, videmus nonnullas exstare culturas, quae sunt inter se vix commiscibiles. Quin etiam videmus dissensiones culturales adsurgere in ipsis Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, quarum sententia est «E pluribus unum» et quarum institutio scholaris ab origine tendebat ad diversorum assimilationem. Circiter enim ab anno 1960 agnoscitur phaenomenum «multiculturale» societatis humanae in Foederatis Civitatibus. Circa annum 1980 «multiculturalismus» gignit «particularismos». Nova sententia est haec: «Una cultura communis neque optanda neque possibilis est.» In scholis praebentur programmata ethnica (sensu etymologico, non Christiano) gentibus quae respuunt cultum Americanum, quem habent ut Europaeum.

Ad summam, plerique Americani et Europaei sunt eiusdem praestantis culturae heredes. Nulla fundamentalis differentia inter eos exstat; neque Americanus in Europa, neque Europaeus in America se extraneum sentit. Possunt ergo culturam classicam et Latinitatem vivam una colere. Etiam si varia sunt eorum incitamenta, magno praemio fruuntur: quo enim melius callebunt linguam Latinam, eo magis delectabuntur eius suavitate et subtilitate. ■

HORARIUM 27/10/96 - 29/03/97 (Tempus UT/GMT)

**RADIOPHONIA FINNICA
GENERALIS**

**NUNTIOS LATINOS
UNDIS BREVIBUS
PER SATELLITEM
EMITTERE PERGIT**



<http://www.yle.fi/fbc/nuntii.html>
<http://www.yle.fi/fbc/latini.html>

EUROPA
Ven. 19.23, 19.53
Sat. 03.23, 05.53
Dom. 11.53
Eutelsat II-F1
558kHz/538m
Ven. 21.23, 21.53
Eutelsat II-F1
6135kHz/49m
963kHz/312m
558kHz/538m
Sat. 06.38
Eutelsat II-F1
9560kHz/31m
6120kHz/49m
963kHz/312m
558kHz/538m
Dom. 10.53
11755kHz/25m

AFRICA
Ven. 19.53, 21.53
Sat. 03.23, 05.53
Sat. et Dom. 11.53
Intelsat 707

ASIA, AUSTRALIA
Ven. 19.53, 21.53
Sat. 03.23, 05.53
AsiaSat 2
Dom. 11.53
AsiaSat 2
17685kHz/16m
15245kHz/19m

AMERICA SEPTENTRIONALIS
Sat. 02.23
Galaxy 5/WRN 1, 6.80MHz
Sat. 03.23, 11.53
Galaxy 5/WRN 2, 6.20MHz
Dom. 12.53
11735kHz/25m
15400kHz/19m

Etiam fieri potest ut Nuntios Latinos
auscultetis in Interrete:
www.yle.fi/fbc/radiofin.html

Si plura scire cupitis, scribatis ad:
Finnish Broadcasting Company
PO Box 99
SF-00024 Yleisradio - Helsinki

OMNES ACROASES LATINAE SUNTO !

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Magno afficior gaudio, quod Gaius Licoppe ea, quae in periodico Palensi M.A.S. (39/1996, p. 20-21) nuper scripseram, non modo attente perlegit, verum etiam critice examinavit (Melissa 74/1996, p. 2-3); dignissima enim res a me tractata est, quam coniunctis viribus perscrutemur.

Verissime Licoppe negat satis esse *sperare*, ut participes conventuum Latinorum adhuc Latine loqui veriti paullatim ardore incendantur vivo usu Latinitatis assuescendi; concreti aliquid sine dubio necesse est fieri, ne illa spes pium desiderium maneat. Qua in re Licoppe ipse nonnulla utilia proponit; e.g. varios circulos Latinos invitari vult, ut «de suis rebus gestis» saepius, quam hodie fieri solet, Latine referant. Quod autem ad elocutionem et eloquentiam Latinam evolvendam attinet, nonne etiam hodie Romae certamina Capitolina et Vaticana praemiis propositis instituuntur?

Nonnulla in commentatione mea Licoppe perperam interpretatur, ut qui ita scribat: «Nos valde gavisus sumus quod professor Thomas Pekkanen hac una condicione voluit nonum conventum¹ in Finnia instituere, ut omnes acroases essent Latinae... *Idem tamen non videtur censere Ericus Palmén*» (cursivae litterae me auctore).

Quisquis ea, quae scripsi, libero iudicio aestimaverit, facile sibi persuadebit meam, ut par est, de hac re eandem ac Thomae Pekkanen esse sententiam. Ego, si alia ac praeses collegii conventui ALF 1997 convocando de ea sentirem, vix aptus fuisset, cui secretarii munera mandarentur. Quia inter lectores Melissae certe sunt, qui sibi M.A.S. non subnotaverint, hic repetere volo eum locum commentationis meae, e quo concordia nostra clarissime apparet: «...proxime ad illorum sententiam accedo, quos 'verissimos Latinitatis amicos' appellavi; verissimum enim est periculum, ne Latinitas, nisi in orationibus acroasibusque conventuum monopolium quoddam habeat, ab oratoribus Latine loqui timentibus, quorum hodie haud parvus est numerus, paullatim removeatur neve in ipsa Academia quoque 'reginae studiorum' loco depulsa 'infima ancilla' fiat (cf. Melissa 55/6.9.1993, p. 2). Similiter censent ceteri moderatores Noni Conventus...»

Sunt, qui nobis acroases aut Anglice aut Italice inscriptas proposuerint. Hos litteris missis monuimus, ne obliviscerentur eas Latine fieri debere, atque hortati sumus, ut argumenta sua Latinis titulis exprimerent. Qui id facere neglexerunt, eorum acroases programme conventus excludimus.

Id argumentum meum, quod Licoppe commemoravit, ad alium contextum pertinet. Eo nequaquam *acroasibus* non Latinis aditum in conventum nostrum patefacere studeo, sed dilucide ostendere, quare nos, cum acroases omnes Latine fieri velimus, tamen post eas *ex improviso colloquentibus* etiam modernarum, quae vocantur, maiorum linguarum modicum usum permittere decreverimus. Vix hoc conventum spiritu minus Latinum reddet.

Non infitior id, quod ait Licoppe, etiam Anglicitate manca, quo vitio hodie haud pauci laborant, auditores defatigari posse. At id quoque expertus scio, quanta in colloquiis publicis obstacula psychica plerisque quolibet sermone non patrio uti conantibus parari possint vano metu, ne aliis eo parum eleganter se expressisse videantur. Hic metus saepe usque eo procedit, ut optimum factu esse ducant tacere, ne qua inscitiae nota fronti suae inuratur. Talia nos in conventu nostro futuro fieri nolumus; neque enim umquam praescire possumus, quis loquendi venia data aliquid ad res ipsas tractandas magni momenti sit dicturus.

*
* *

Utique nullum est dubium, quin in re fundamentali, de qua in Octavo Conventu Academiae Latinitati Fovendae imprimis ambigebatur. Gaius Licoppe et Thomas Pekkanen et ego uno ore consentiamus: acroases in Nonum Conventum eiusdem Academiae nisi Latinas accipi non posse. ☛


¹ De quo conventu legatis p. 16.



EXEMPLUM LATINITATIS VIVAE

PROPONIT GAIUS LICOPPE

In hac hodierna maximaque controversia de Latinitate viva exemplum fortasse magis persuadebit quam longae dissertationes. Ante nonnullas septimanas Parisiis fortuito inveni et emi librum c.t. Compendium Physicae experimentalis, conscriptum in usus academicos, auctore P.V. Musschenbroek, Lugduni Batavorum apud S. et J. Luchtmans, Academiae typographos, a. 1762 editum.




Cum hunc librum legere coepissem, statim percepi mihi in manibus esse mirum exemplum Latinitatis vivae, qualis vigeat in altera dimidia parte duodevicesimi saeculi. Nemo negare potest hunc librum conscriptum esse ad usum alumnorum. Lingua Latina, qua tunc docentur alumni, est vere viva; scatet neologismis rite definitis, cum celeriores iam fiant progressus scientiae naturalis, unde oriuntur multae res antea ignotae. Haec lingua Latina respicit grammaticam classicam, sed non timet nova vocabula fingere. Lector statim percipit auctorem magna cum facilitate et simplicitate valere de rebus physicis

verbis Latinis disserere.

Nonnulla huius operis excerpta ante lectoris oculos infra pono; neologismi et verba antiqua novo sensu praedita litteris obliquis indicantur.

«Libri primi caput nonum. De pendulis.

§ 224. *Pendulum*¹ vocatur corpus grave, pensile ex filo tenui AB, circa cuius extremum A tamquam centrum, in circinationis modum moveri potest.



§ 225. Si pendulum AB ex situ ad horizontem perpendiculari in alium qualemcumque AC elevetur, laxatum vi gravitatis descendit, in arcu circuli movetur;

quando pervenit in AB, velocitatem acquisivit, qua ad parem altitudinem BD ascendit; motu omni in D amisso, iterum descendit per B ad C. Itus a C ad D, vocatur oscillatio vel vibratio.

§ 226. Si pendulum in vacuo oscillaretur, semel agitato, pergeret in aeternum moveri.

§ 227. Si pendulum oscillaretur in *chordis*² circuli, paribus temporibus omnes oscillationes magnas vel parvas perficeret; cum autem pendulum in arcibus circuli oscillatur, arcus magni et parvi non percurreuntur paribus temporibus; sed quando arcus circuli sunt admodum parvi, tempora oscillationum cum iis, quae fierent in chordis, sunt in constanti ratione, quae est ut quadrans peripheriae circuli ad diametrum; ideo parvae oscillationes penduli paribus temporibus absolvuntur; poteritque pendulum, aequales semper percurrens arcus, ad mensurandum tempus commodissime in usum vocari.» (op. cit. pp. 71-72)

«Libri quarti caput primum. De proprietatibus lucis generalibus.


§ 590. 3°. Lux etiam se penetrat per adamantum, gemmarum, vitrorum poros, qui adeo angusti sunt, ut ope quorumcumque *microscopiorum*, quibus *millionesimam* partem

grani sabuli facile distincteque discernimus, detegi hucusque non potuerint; oportet igitur, ut quaelibet lucis particulae his poris sint multo tenuiores.» (op. cit. p. 234)

«Libri quarti caput tertium. De luce refracta et corporibus refringentibus.

§ 622. Quando ex corporibus lucentibus evolans lux spatium inane, vel corpus quodcumque fluidum, aut firmum, permeat, dicitur permeare *medium*; ita enim appellatur, quicquid lumen transmittit.» (...)

§ 627. Si vero idem radius lucis ex medio X ad



alterum Z, directione ROK obliqua ad superficiem AB feratur, a via priori aberrabit, aliamque OF ingredietur, quae aberratio appellatur *refractio*.» (op. cit. pp. 251, 253)

«Libri quarti caput sextum. De diversa radorum *refrangibilitate* et de coloribus.

§ 700. Radius lucis, prout a sole emissus ad nostram terram pervenit, constat luce admodum *heterogenea*, cum adeo differenti *refrangibilitati* subjicitur. (...)

§ 701. Si radium solis directe intueamur, aut eum in planam albamque chartam excipiamus, candidus apparet.

§ 702. Eiusmodi radius prisma vitreum pertranans et refractus, deinde in albo plano exceptus, imaginem exhibet oblongam, plurimis variegatam coloribus, hoc ordine dispositis, ut sint rubri, *aurantii*, flavi, virides, caerulei, purpurei, potius Indici, tum violacei, praecipue distinguendi; verum simul adsunt in singula colorum classe plurimi intermedii, quia non prorsus separati, sed in se mutuo cadunt, et ideo quinque colores intermedii inter ambos extremos non sunt perfecte homogenei.» (op. cit. pp. 281-282)

«Libri quarti caput decimum. *Catoptrica*.

§ 859. Ex dictis insuper variae machinae explicantur, veluti *camerae obscurae portatiles*, et *telescopia obliqua*, sive *zelotypa*, et praesertim *lanternae magicae*, seu *megalographicae*, quarum phaenomena omnium optime exhibentur lumine solis in subsidium vocato.» (op. cit. p. 351)

His excerptis monstrare volui qualis mansisset linguae Latinae vitalitas temporibus modernis, ubi, multis antiquorum cogitationibus reiectis, Latine tamen docebantur nova scientiarum inventa.

Quomodo fieri potuit ut intra unum fere saeculum haec lingua viva et ad usum universum aptissima redigeretur ad statum monumenti pulverei?

Hanc quaestionem re vera paucissimi homines hodierni sibi proponunt, propterea quod eis iam a puero inculcatum est linguam Latinam una cum imperio Romano extinctam esse. Quare omni occasione data oportet nos Latinistae vividi scique aequales nostros de hoc falso certiores faciamus.

*
* *

Quales fuissent causae linguae Latinae derelictionis iam saepe enuntiavi: maxima causa omnium est nationalismus. Oportet nobis plane conscii simus morbum nationalismi in Europa infeliciter non desiisse saevire, etiam si nunc temporis iam non habet formam bellicosam.

Inter primos, regentes Hispani et Francogalli effecerunt ut loco linguae Latinae adhiberetur sermo vernaculus, quo ipsi utebantur. Tempore Ludovici XIV in Francogallia vehemens erat certamen inter linguam Latinam et Francogallicam. Exeunte XVIII saeculo, cum inter magnam rerum mutationem regnum Francogallicum suppressum esset, novi rei publicae regentes ei substituerunt notionem nationis. Decretum est omnes aboliti regni incolas pertinere ad nationem Francogallicam atque summa opera necnon maxima vi lingua Francogallica, quam XVIII saeculo tantum dimidia pars incolarum intellegebat, cunctis inculcata et imposita est. A quo tempore nullus linguae Latinae usus tolerabatur praeter ecclesiasticum.

Multi tamen docti Francogalli Latine sciebant, cum apud collegas in Germania et in Europa centrali usus linguae Latinae in scientiis tractandis etiam XIX saeculo vigere pergeret. Hoc tamen non diu. Prof. Andreas Fritsch Berolinensis ante paucos annos optimam acroasin fecit, qua narravit quo modo in altera dimidia parte XIX saeculi cancellarius Bismarck propter nationalismum Germanicum recentem abolevisset academicum linguae Latinae usum. Tunc omnino iacuit lingua Latina viva. Sola antiquorum scripta Latina discipulis praebantur, quae habebantur ut pars historiae antiquitatis.

Ergo exeunte XIX saeculo nationalistae regentes Europaei tandem effecerant ut universus



Exemplum scientificum

nationum sermo in sepulcro includeretur. Nefas factum erat etiam mentionem facere de Latinitate viva. Et re vera lingua Latina ab usu academico remota desiit locupletari novis vocabulis novisque locutionibus necessariis ad vitam modernam tractandam, quae innumerabilibus mutationibus inventisque scatet.

Ab eodem fere tempore factum est divortium inter scientias naturales et litteras. Antea omnis doctus homo vocabatur «litteratus», cum hi soli qui litteris Latinis et plerumque Graecis erant eruditi in scientias naturales incumberent. Paulatim apparuerunt duae divaricantes viae: via litteraria artiore sensu praedita, ubi plus minusve servabatur cultus litterarum Latinarum Graecarumque, atque via scientifica maxime mathematica, ubi solae linguae nationales adhibebantur in scientiis naturalibus tractandis. Via scientifica celeriter facta est via regalis, propterea quod scientiarum naturalium inventa facta erant maximus fons et divitiarum et potentiae.

Vicesimo tamen saeculo manifestum fit magnum detrimentum quod oritur ex usu scientifico multarum linguarum: scientifici diversarum nationum alter alterius opera saepe intellegere non possunt. Hac de causa, uno circiter saeculo post Latinitatem vivam officialiter sepultam, anno 1956 vir «scientificus», non «litterarius», Iohannes Capelle undique Avennionem invitavit doctos litterarios et scientificos ad conventum participandum, ubi tractaretur de lingua Latina in usum praecipue scientificum restituenda. Qui conventus certe nonnullos bonos effectus habuit, sed Iohannes Capelle magnum propositum suum adsequi non potuit duabus de causis: una minor pendeat a «litterariis» Latinistis, quorum plerique inclusi manserunt in suo iam diu solito sepulcro; altera maior, quia res fieri non poterat sine aere publico, quod regentes praebere noluerunt. Politici enim etiam post cladem alterius belli mundani firmiter manebant nationalistae.


*
* *

Natio antiquitus significabat multitudinem quandam hominum cognatione coniunctorum. Recentioribus temporibus hoc nomen tributum est maioribus multitudinibus, plerumque certis finibus inclusis, quae eadem lingua utuntur. Lingua enim est signum, quo homo quidam facilius agnoscitur certae nationis particeps. Non ergo mirandum, si regentes primae rei publicae Francogallicae, qui nomen nationis abolito regno substituerunt, eandem linguam, i.e. linguam Francogallicam, omnibus incolis imponere voluerunt. Intra duo saecula rei publicae regentes hoc propositum assecuti sunt et natio Francogallica facta est homogenea, quod spectat ad linguam.

Initiis regentes conabantur unam linguam, nationalem dictam, suis subiectis imponere, sed res recentius mutatae sunt. Ubi cumque adhuc adhibetur quidam sermo regionalis, sunt politici frugiferi muneris avidi, qui ortum novae nationis proclamant atque novam rem publicam ad usum suum condere cupiunt. Politicis nostris multo plus prodest multiplicitati linguarum favere, quam linguam universalem fovere. Hoc est obstaculum adhuc insuperabile, quo impeditur ne lingua Latina modo vivo doceatur. Quod obstaculum hoc solo modo moveri poterit, si satis multi homines diversarum nationum sibi consciis facti erunt magni detrimenti, quod Europa patitur propter amissum usum linguae Latinae. 🐉

ADNOTATIONES

- 1 Penduli theoriam elaboravit Christianus Huygens XVII saeculo; inde oritur eius inventio horologii.
- 2 Chorda hic appellatur linea recta CD figurae; punctis C et D etiam terminatur arcus circuli.



Fabrica telescopii Gregoriani - TYYT est canalis aeneus, in quo lldD est speculum sphaerico-concavum, in medio X amplo pertusum foramine. Anterius EF est speculum sphaerico-concavum minus. Fit obiectum AB admodum dissitum... In canali posteriori MUUN lens MN ab una parte gibbosa, ab altera parte plana... Meniscus radios refringit ut imago PV appareat amplificata...

HAICUA BELGO-LATINA

PROPONIT THEODORICUS SACRÉ

A.d. V Id. Mart. anno 1995 Sodalitas Haicubus Latine Pangendis Belgica, cui nomen HARVNDINE, Pipingae (vulgo Pepingen) in vico Brabantiae est condita, praeside et fundatore Marcello Smets, sodalibus Hilda Borremans, Renildo Cappelle cum uxore, Hugone Kempeneers, Theodorico Sacré cum filiolo, Magda Smets (Marcelli uxore), Leone Vander Elst, Anna Vermeylen, Andrea Welkenhuysen.

Societas autem eo fine condita est, ut foverentur haicua Latina. Ideo sodales bis fere in anno congregantur, quaeque poematia senos intra menses elucubraverunt, ceteris recitant, qui ipsa recognoscant, emendent, liment, perpoliant. Solent ibi tractari quae «adhuc sub iudice sunt», utrum haicum versiculi hiatus ferant necne, legitime sint haicua quae verbo temporali quaeve subiecto plane expresso careant. Quibus in rebus licentia quaedam et libertas pluribus arridet. Mos est autem nobis ut de verbis deligendis et apte collocandis fusius disputemus, omni ope atque opera enisi ut sermo sit vere Latinus.

*
* *

Haicu quid sit neminem iam ignorare putamus, ex quo genus id poeticum ab Henrico Reinhardt poeta civitate donatum est Latina et fundamento speculativo sive theorematis instructum¹. Est ergo haicu poemation versuum III ita inter se sequentium, ut primus quinas, alter septenas, tertius quinas expleat syllabas. Ipsi autem versiculi pedibus metricis rhythmicisve non stringuntur, licet primus tertiusve interdum adonium constituat (ut exemplis utar: «dulcis ocellus» (num. 1) est adonidium metricum, «quasi foedentur» (num. 2) est adonium rhythmicum). Haicu est carmen simplex, a fuco oratorio alienum, quod una imagine, e rerum natura plerumque petita, circumscribitur. Haicum scriptor observat magis quam iudicat; tacet quid ipse sentiat. Haec generatim praecipuntur; at suum cuique liceat! Nam peccare nonnumquam iuvat, iuvat aliquando cyclum quendam haicuanum contexere (num. 12), vel affectus exprimere, vel oratoris munus gerere...

Haicua Latina facile fiunt, multo etiam facilius

ex hexametris Vergilianis, Ovidianis, Catullianis, Horatianis derivantur. Hic est enim versus Vergilianus: «atque levem stipulam crepitantibus urere flammis» (*georg.* 1,85); e quo sponte nascitur haicu:

Levem stipulam
crepitantibus flammis
urere coepit. (Marcellus S.)

Sodales ergo, quorum pars maior circa erudiendam versatur iuventutem, hoc atque aliis eiusmodi exemplis propositis, discipulis persuadere solent ut haicua vel derivent e fontibus Latinitatis aureae, vel e nihilo, ut ita dicam, creare conentur. Facilitas autem pensi illius huius difficultatem leviolem reddit, rem ipsam iucundiolem. Nil ergo mirum, si nobis bis in anno convenientibus messis opima primitiarum proponitur degustanda et diudicanda. Multum quidem in ea re teritur temporis, at suaves sunt horae perpendendis eis conaminibus datae.

Quid multa? Audeto haicua pangere Latina! Periculum facito quam expedita sit res hexametros convertere in haicua, quamve iucundum sit otium dicam an negotium nova fingere haicua! Nam

Haicu dum ludis
obrutus negotiis,
repuerascis. (Theodoricus S.)

Si, temptata re et approbata, Societati nostrae nomen dare volueris, nihil obstat. Litteras dato ad Marcellum Smets, Hoesnaak 31, B-1670 Pepingen.

*
* *

Huic nuntio haicua nonnulla subiunxi, quae nosmet ipsi, vel discipuli nostri condiderunt.

1. Ut mare glaucum
est filiulae meae
dulcis ocellus.
(Hilda B.)

2. Cum spatiat
pedes ardea tollit,
quasi foedentur.
(Renildus C.
e fonte Iaponico)



3. In luce nova
hilaris anni novi
aves audio.

(Marcellus S.)

4. Flores silentes
coloribus proclamant
ima gaudia.

(Andreas W.)

5. Ultimi prati
flos est tactus aratro
praetereunte.

(Hilda B. e Catullo)

6. Ultimi prati
flos decidit ilico
tactus aratro.

(Theodoricus S. ex eodem)

7. In vitro lente
gyrat piscis, regyrat
pellucidulo.

(Theodoricus S.)

8. Folium vento
coruscans immoratur
araneolae.

(Renildus C.)

9. Piscis inhiat
Polycratis anulo:
ringitur Fatum.

(Leo V.)

10. Sol vespertinus
nitore rutilante
terram relinquit.

(Ramona discipula)

11. Manus leniter
ut eruca derepit
vibratque cutem.

(Georgius discipulus)

12. Cyclus paternus

Redeo domum.
Manus pater suas, ut
solet, recenset.

Statua viva,
torva sedet, elapsae
memor aetatis.

In nube fumi
inebriatur vino.
Mitescit maeror.

Et cum surrexit,
rubet in sede gutta
sanguinis parva.

Noctes sequuntur
dies. Erit ipsi mox
sine die nox.

Nosocomium
adimus: pallidus pa-
ter cruciatur.

Astamus fili
nuntiet siquid nobis.
Manet aenigma.

Levia, laeta
garrimus et narramus,
patre volente.

Medicamina
mille morbum non pellunt,
sopiunt mentem.

Uxorem cernit
mortuam, quam compellat
blandula voce.

Vox evanuit
tua, pater; cum matre
siles aeternum.

*

Iam sunt recisae
obumbrantes sepulchrum
fagi vetustae.

(Theodoricus S.)

13. Silent salices
dum faber nebulosus
clavos percutit.

(Marcellus S.)

14. Lymphae loquaces
fesso praebent pecori
frigus amatum.

(Anna V. ex Horatio)


¹ Vide e.g. 'Haicua Latina. Cum epilogo: De conscribendis haicubus', *Hermes Romanus*, 1 (1983), 178-181. Cfr. etiam A. Welkenhuysen, 'Latijn en haiku. Beschouwingen en voorbeelden', in Id., *Latijn van toen tot nu. Opstellen, vertalingen en teksten gebundeld naar aanleiding van zijn emeritaat*, Symbolae Facultatis Litterarum Lovaniensis, A 18 (Lovanii, 1995), pp. 149-158.

DE CONIUNGENDIS VIRIBUS

CIRCULORUM LATINORUM

Aloisius Miraglia Neapolitanus propositum suum nuper patefecit, quod pertinet ad circulos Latinos in Italia vigentes coniungendos et postea fortasse cum ceteris confoederandos. Nostro sensu est optimum propositum. Primus scopus huius generis confoederationis is esse debet, ut singuli circuli omnium operibus frui possint. Hac in re Interrete optimum auxilium praebere potest, si omnes circuli ei coniunguntur et participes fiunt «gregis Latine loquentium». Eo magis iterum florebit Latinitas, quo plura legemus, scribemus et loquemur: hoc semper recordemur oportet.

*Infra praebetur exemplum cooperationis inter circulos Latinos. Cum mihi in manibus esset thesis cuiusdam chirurgi Francogalli anno 1770 edita, legi praesidem facultatis inter multos titulos socium esse Imperialis Apathistarum Academiae Florentinae. De hac Academia mihi ignota interrogavi **Paulam Marongiu** circuli Florentini moderatricem, quae mihi respondit haec scitu digna:*



Academia Apathistarum initium cepit anno 1632 a conventibus qui fiebant in domo Augustini Coltellini viri docti non magno ingenio praediti qui Academiae conditor habetur. Nomen Graecum *Apathistarum* (sine motibus animi) dedit

Benedictus Fioretti (qui iam antea in scriptis suis subscribendis se *Apathistam* appellaverat) ut significaret temporibus quibus nulla libertas esset, Magno Duce Etruriae summam auctoritatem habente, sodalibus motus animorum callide prudenterque minime ostendendos esse.

Propositum fuit litteras et scientias promovere ut in primis iuvenes docerentur et pararentur ad munera in administratione rei publicae accipienda. Sodales fuerunt plerumque viri amplo genere nati laici et ecclesiastici (inter quos etiam Magnus Dux et alii principes). Saeculo XVII Academia Apathistarum fuit maximi momenti una cum aliis duabus Academiis, id est cum Academia a Furfure (Accademia della Crusca) et cum Academia Florentina (Accademia fiorentina); qua de causa viri docti vel pollentes maximam dignitatem fecerunt in numerum sodalium recipi harum Academiarum. E.gr. fuerunt Apathistae Vincentius

Viviani clarissimus physicus, Galilei discipulus et Franciscus Redi medicus et litteratus. Academia libenter etiam viros peregrinos accipiebat ut ex hoc videtur, orationes in Academia non solum Tusce et Latine sed etiam Francogallice, Anglice, Theodisce haberi potuisse.

Exstat formula Latina qua sodales peregrini admittebantur: «Distributivae Iustitiae ratio exigit, ut qui in aliqua Universitate praeclarum ingenii sui specimen dederunt, debito laudis praeconio non fraudentur, quod inter ceteras Apathistarum Academia religiose profitetur et praecipue erga externas nationes, quae gloriosis peregrinationibus sapientia nundinantur in quorum gratiam maxime nostra desidat industria, ut, cum Florentiam venerint, sciant se non in alium terrarum orbem delatos, sed quasi ad federatam amoris vinculo urbem confugerint, a concivibus suis humanissime excipiantur, et prout tantorum virorum dignitas expostulat in album nostrum relati, tamquam huius corporis membra se habeant.»

Saeculo insequenti Academia, quippe quae tantum res a realitate (id est ab agricultura etc.) remotas tractaret, prolabi coepit, donec anno 1783 est abolita.

Non est res mira illum clarissimum medicum Francogallum socium extraneum Academiae Apathistarum fuisse, quod saeculo XVIII ad vincula cum doctis Europaeis augenda omnes Academiae Florentinae statuerunt fieri posse socios honorarios clarissimos viros doctos peregrinos quibus videlicet nullae sessiones erant participandae et nulla pecunia solvenda. Praeterea censeo Academiam *imperiale* esse nuncupatam quod anno 1737, familia Medicea extincta, factus est Magnus Dux Franciscus Stephanus Lotharingicus, Mariae Teresiae maritus cui Petrus Leopoldus (1765-90) futurus sacri Romani imperii imperator successit.

LIBRI ADHIBITI:

Alessandro LAZZERI, *Intelletuali e consenso nella Toscana del Seicento. Accademia degli Apatisti*, Milano, Giuffrè, 1983.

Eric W. COCHRANE, *Le relazioni delle accademie toscane del Settecento con la cultura europea*, in «Archivio storico Italiano», Firenze, Olschki, 1953, pp. 78-108. ■



DE HISTORIA HEBRAEORUM

SCRIPSIT IOHANNES VAN DER STEGEN

Iohannes van der Stegen, discipulus Bruxellensis Instituti Sanctorum Pauli et Petri, nuper ante condiscipulos suos allocutionem fecit Latinam, rogante magistro Iohanne van Kasteel. Eis de antiqua Hebraeorum historia laudabiliter locutus est. Ecce eadem allocutio litteris mandata.



In his regionibus David complures annos erravit.

A b r a h a m familiaque eius in urbe Ur orti sunt in Chaldaea. Exiverunt ad Palaestinam undevicesimo saeculo ante Christum natum, Hammurabi regnante. In hoc loco quadringentos annos manserunt.

Deinde populus Israel in Aegyptum iit. Cur populus Hebraeorum Israel nominatus est? Quia Iacobus, patriarcha Hebraeorum, a Deo Israel nominatus est. Aegyptii populum Israel in servitutem redegerunt usque ad annum millesimum trecentessimum quinquagesimum ante Christum natum.

Postea Deus iis liberatorem dedit qui Moyses est. Cum Moyse rubrum mare transiverunt et in Palaestinam advenerunt. Antea in desertis manserunt quadraginta annos.

Deinde Israelitae Hierichontinam urbem Palaestinamque ceperunt anno millesimo trecentesimo ante Christum natum. Palaestinam in duodecim regiones diviserunt duodecim tribubus datas.

Tamen contra veteres incolas bellum egerunt ducentos annos. Hoc tempus nominatum est tempus iudicum.

Samuel, ultimus iudex prophetaque, Palaestinam in regnum mutavit. Saul coronatus est anno millesimo. Successor eius David magnus rex fuit. Duodecim tribus confirmavit. Post David Salomon regnavit anno nongentesimo septuagesimo, qui pactum cum Aegypto Tyroque fecit. Hic quoque templum Hierosolymae construxit.

Anno nongentesimo tricesimo, Roboam regnante, dissensiones inter tribus ortae sunt. Schisma factum est: decem tribus septentrionales factae sunt regnum septentrionale; quod regnum mansit ducentos annos. Sargo, rex Assyriorum, Samariam, quae caput regni septentrionalis fuit, anno septingentesimo vicesimo secundo cepit.

Regnum meridionale Iudaeum tunc nihil passum est. Rex Iosias correctionem religiosam civilemque suscepit anno sescentesimo vicesimo secundo ante Christum natum, sed effectus brevis fuit. Paulo post Nabuchodonosor Hierosolymam anno quingentesimo nonagesimo octavo a.C.n. cepit. Populum relegavit atque regem deposuit qui Sedecias fuit. Hic rebellionem fecit. Tunc Nabuchodonosor Hierosolymam iterum obsedit exussitque anno quingentesimo octogesimo tertio a.C.n. Omnis populus in Babyloniam relegatus fuit; praefectus Chaldaeus eius regionem curavit.

Cyrus, rex Persarum Medorumque, reditum victi populi permisit, Zorobabel ducente, anno quingentesimo tricesimo octavo a.C.n.¹

Anno trecentesimo tricesimo primo a.C.n. Palaestina ab Alexandro Magno subacta est. Ab anno trecentesimo vicesimo tertio a.C.n. Iudaei tenebantur a ducibus Alexandri.

Inter annum centesimum septuagesimum quintum et annum centesimum sexagesimum tertium a.C.n. Antiochus Epiphanes Iudaeos in servitutem redegit et vexavit. Tunc ii rebellaverunt, Iudaea duce. Iugum cecidit et liberi vixerunt centum annos.


Anno autem sexagesimo tertio Pompeius Magnus Palaestinam invasit. Parvo post tempore Caesar in quattuor partes eam divisit. Quaeque pars a tetrarcha recta est. Herodes Galilaeam rexit.

Anno sexagesimo septimo post Christum natum Iudaei voluerunt rebellare, sed hoc movit eversionem Hierosolymae anno septuagesimo post Christum natum. Exinde diaspora facta est. Est finis historiae antiquae Iudaeorum. ☩

ADNOTATIO

- 1 Ea de causa Cyrus a Iudaeis Christus appellatus est. Vide *Isaiae* cap. XLV versum 1: «Haec dicit Dominus Christo meo Cyro...»

Lectores, attendite.



Nicolaus Gross Germanus Coreanensis, strenuus Latinista, multos libros in Latinum vertit, ad quos imprimendos domum editoriam quaerit. Difficultas autem librorum Latinorum infeliciter haec est, nimis paucos inveniri emptores. Qua de causa hunc nuntium divulgamus atque **instanter rogamus ut omnes, qui libros Latinos legere cupiunt, ad nos rescribant se eos emere velle.** Nam, deficiente pecunia, hac sola condicione libri in lucem edi poterunt. Ecce libri a Nicolao Gross in Latinum versi:

- Patricii Süskind fabula criminalis: *Fragrantia. Historia homicidae.*
Iohannes Baptista Grenulius primo tiro coriarius, postea fabricator foliatorum non est conspicuus. Ab hominibus vix respicitur, vix animadvertitur. Qui ne suspicantur quidem eum esse monstrum ingeniosissimum. Nam Grenulius discernere scit miliones odorum. Unum tantum sibi proposuit: vult fabricare fragrantiam summam et perfectam. Ad hunc scopum assequendum formosas puellas percussas interimit...
Haec fabula naso legenda est. Odorare, lector: hac historia horrens helluaberis!
- Iosephi Conrad novella omnium ingeniosissima: *Cor tenebrarum.*
Cimelium litteraturae mundanae incomparabile.
- Quinque narratiunculae ad Lituaniam spectantes: *Fabellae Lituanae.*
Adiuncta introductione de regione, lingua, litteratura Lituanica atque adiunctis adnotationibus.
- Quinque exempla modernae litteraturae Coreanae: *Anthologia Coreana.*
Adiuncta introductione de regione, lingua, litteratura Coreana atque adiunctis adnotationibus.
- Abrahami Stoker opus cruentissimum: *Dracula.*
Vampyri Latine loquuntur!
- Theodori Storm opusculum ingeniosissimum: *De equite Leucippo.*
Artificiosissimum, secundum Thomam Mann.
- Theodori Storm duae novellae: *De filiis perditis patribusque desperatis.*
Duo exempla litteraturae mundanae.
- Edgarii Allani Poe *Fabulae formidulosae.*
Adiuncta introductione de auctoris vita operibusque atque adiunctis adnotationibus.
- Edgarii Allani Poe *Fabellae ratiocinationis.*
Adiuncta introductione de auctoris vita operibusque atque adiunctis adnotationibus.
- Gerhardi Hauptmann novella secreta animae humanae pandens: *De Thilo custode ferriviae.*
Thilus fuerat anima candida, vir simplex, pius ecclesiae frequentator, maritus obsequentissimus, pater indulgentissimus. Quomodo fieri potuit, ut idem Thilus quodam die uxorem filiolarumque saevissime iugularet?
- Roberti Ludovici Stevenson *Insula thesauraria.*
Funditus retractata et adnotationibus instructa.
- Danielis Defoe *De vita et periculis Robinsonis Crusoe.*
Opus illustrissimum.

Hi omnes libri imprimuntur, si sat multi lectores nomina dederint emendo.



NOVA ATQUE VETERA

DE CHRONICIS MEDIAEVALIBUS

SCRIPSIT IOHANNES IRMSCHER



Chronica fontes gravissimos ad historiam medii aevi perscrutandam aestimanda esse inter omnes historiae studiosos iam diu constat. Ultimis autem decenniis non solum virtus historica chronicorum mediaevalium respiciebatur, sed etiam eorum locus litterarius atque psychagogia quae mentes lectorum tangit. Ut quae studia commemorata effecerunt comprehenderetur statusque quaestionum exhiberentur, Universitas litterarum in urbe celeberrima atque pulcherrima quae Ultra Traiectinum nominatur condita viros atque feminas doctissimas ex toto orbe terrarum mense Iulio anni 1996 ad disputandum convocavit. Isto anno universitas, cuius supra mentionem fecimus, diem celebravit, quo Willibrordus sancti Bonifatii socius episcopus urbis ultra Traiectinum sitae factus est simulque memor erat, quod anno millesimo sescentesimo tricesimo sexto universitas ipsa fundata est.

Conventum moderavit Ericus Cooper, vir optime meritis in Universitate studiorum laudata historiam mediaevalem docens. De quattuor argumentis principalibus per quattuor dies agebatur.

Primo quid esset chronicon quaerebatur, quae genera chronicorum discernenda essent, quibus insignibus quidque genus intelligi posset. Secundo de functionibus chronicorum interrogandum erat.

Quales auctores, quales lectores chronicorum fuissent, quibus modis oratoriis illi usi essent, quibus condicionibus textus composuissent et conscripsissent, qui conventui intererant perscrutabantur. Tertio loco indagabatur, quo modo chronicorum auctores historiam scribere conati essent, quas res gestas plures certe narravissent, qua de causa alias confixissent, cur chronographi et qui operam eorum legebant, praeterita redintegravissent atque laudavissent. Postremo quae ratio inter textum et imagines chronicorum interesset, detegere iis, qui conventui praererant, cordibus erat.

Ducenti fere domini atque dominae, ut conventui interessent, invitati in Hollandiam profecti sunt. Neminem eorum molestias atque expensa itineris suscepisse paenituit. Nam unusquisque, qui orationes collegarum attente auscultabat, res novas novasque interpretationes comperit atque veteres errores correxit. Chronica Europae occidentalis et chronica Byzantina atque chronica orientalia, quae ab istis derivata sunt, e communibus radicibus orta esse ad oculos demonstrabatur atque chronica Europae cum chronicis exteris, exempli causa cum Sinicis prospere comparabantur. Ut studia ad chronica mediaevalia pertinentia efficacius propagari possent, societatem istorum studiorum inter omnes gentes fovendorum constitui perutile esset. Sed prius acta conventus perlati quomodocunque prelo mandanda sunt. ☛

De corde aegro

Qor quoddam miserum, quod ex q littera laborabat (morbo rarissimo), ad medicum adiit, ut exploraretur.

«Graviterne me habeo? Suaden' mihi, ut testamento faciendo meis provideam?»

«Minime, minime, ne timueris: en bellum remedium, quo saneris.»
C vitaminum ei dedit; cor convaluit.

Fons: Gianni Rodari: *Il Pianeta degli alberi di Natale*. Torino 1962
(puerorum liber)

EX ITALIANO IN LATINUM CONVERTIT MARCUS LAKEBRINK.

*Etiam Latine
ridere licet!*

INGENUUS - SERVUS - LIBERTUS

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

(Tertia pars)

Unus ex pulcherrimis lapidibus votivis musei Romano - Germanici Coloniensis ibidem expositis (CIL XIII 12057) deaeque Germanicae *Vagdavercusti* dedicatus in parte superiore opere caelato exornatus est sacrificium repraesentante.

Togatus quidam, ergo ingenuus, capite velato ante aram stans sacrificium perficit *Vagdavercusti*, deae Germanicae, «secundum ritum Romanum». Tale caerimoniae genus vocabatur *interpretatio Romana* (Tacitus, *Annales*). Ceterum ille Romanus *praefectus praetorio*, eques Romanus, iuxta imperatorem vir summae erat auctoritatis in imperio Romano.

Viri circumstantes amiculo cucullato vestiti Germani sunt aut Galli propter vestimenta, peregrini, civitate forsitan Romana praediti. Quidam tibicen instrumento sonat suo: *servus publicus*, quo in sacris opus erat, ne aures superum strepitu offenderentur circumstantium.

Et quid de illo homunculo, nano, acerram portante? Itidem *servus allectus* est, i.e. allectus a quodam sacerdote, ut munere quodam fungatur religioso in templo. Talium servorum allectorum erat templa aperire et claudere, victimas accipere et mactare. Servi erant technici, qui nonnumquam sacerdotis quoque fungebantur munere: accessus iis erat ad sacra publica; nullo autem modo proprietates erant templi. Nonnullae iis erant praerogativae: salarium publicum iis erat concessum, toga vestiti incedere solebant, feminam ingenuam in matrimonium ducere iis licebat.

Tales servi publici corporati erant in *collegiis religiosis*; agebatur autem tantummodo de muneribus administrativis, de compensatione sociali, de augendo statu sociali servorum. Talibus *collegiis religiosis* propositus erat *sacerdos*. Alii servi corporati erant in *collegiis funeraticis* sive *sodaliciis*, quae generatim e 1.000 constabant sodalibus. Numerus minimalis: tres sodales («tres faciunt collegium»). Collegio funeraticio praerat

curator. Tale collegium institutio socialis erat, non religiosa; assecuratio erat valetudinaria.

Homines stratorum inferiorum modestis gaudiis socialitatis modo minus selecto fruebantur: campi actionis iis erant caupona et collegium. Viri convenire solebant in balnea aut in quandam cauponam, ubi caupones cibos recalefaciebant, ioca ibi agebant cum ancillis. Fama cauponarum non satis erat bona. Virum ingenuum cauponam adire non decuit.

Quod attinet ad collegia, imperatoribus magna erant indignationi, quia multi eo conveniebant viri quorum vera consilia cognosci non poterant. Consociationes erant liberae, privatae; maximam partem servi libertique eiusdem artis erant aut viri qui eundem venerabantur deum tempusque ibi terebant subsicivum. In urbibus unum

saltem tale collegium exstabat e.g. collegium textorum, collegium cultus Herculis, collegium fabrorum (opificum ferrariorum). Collegium restrictum erat ad unam tantummodo urbem, ubi sodales vivebant aliusque alium noverat. Omnes sodales erant viri, feminae non erant admissae.

Ceterum omnia collegia corporata erant secundum eadem principia ac urbes ipsae. In unoquoque collegio consilium exstabat, magistratus unius anni benefactoresque. Collegia, ut ita dicam, urbes erant minusculae, quae «scopis religiosis» inserviebant.

Cur servi et liberti adhaerebant talibus *collegiis*? Non erant similia nostris consociationibus syndicalibus: nil aliud erant nisi loca feminis carentia virisque tantum reservata. Si agebatur de collegio religioso, praetextus praebatur, ut convivia instituerentur. Si spectabat ad professiones aut ad opifices, viri eiusdem artis aut generis conveniebant. Omni sodali *intragium* erat persolvendum. Una cum donis benefactorum tales pecuniae sepulturis inserviebant dignis defunctorum una cum conviviis sequentibus.

Servi collegio accedebant, ne cadavera sua



tamquam canes noctu libitinae imponerentur, extra moenia efferrentur ac conicerentur in puticulos aut fossas communes.

Funus talis sodalis modo sollemni celebrabatur festivo: pompa funebris longa cadaver comitabatur usque ad sepulcrum commune a collegio praebitum. Collegia nonnumquam infamia erant sive maculosa propter cupiditatem voluptatum.

Numerus illorum collegiorum in annos creverat, denique centra sunt facta vitae privatae i.e. sphaerae privatae plebeiorum. Imperatores tales evolutiones attente et magna cum suspitione custodiebant. Structura talium collegiorum officialium nonnullis imperatoribus nimis videbatur politica, quia designatio «ordinis» apparebat in administrandis collegiis. Talia autem imperatoribus valde displicebant. Qua de causa competentiam eorum resecabant, praecipue mercatorum et alimentariorum, quibus numerosa erant negotia cum collegis transmaritimis. Et mirum non est, quia scopi multorum collegiorum saepe ultra campos actionum suarum pertinebant: aetate rei publicae exeuntis candidati munerum publicorum non solum subsidium petebant urbium, sed etiam collegiorum.

Crebriores autem conventus erant in cauponis, quos frequentare solebant, quo commodius ac iucundius communiter bibere possent. Saepe accidit, ut sodales collegiorum religiosorum occasione sacrificii vino se complerent et de rebus politicis stupidissime blaterarent.

Desiderium socialitatis tantum erat, ut immo vero intra communitatem domesticam et specie pietatis tales coetus orirentur, non solum homines divites et nobiles, sed etiam servi et liberti eiusdem domus se coniungebant, quibus stipes mensuales erant persolvendae sumptus funerum causa. Talia quoque collegia institutiones imitabantur urbanas (cfr Ariès / Duby, *Geschichte des privaten Lebens*, Frankfurt, 1989, pp. 187-189).

Sed redeamus ad nostros *servos publicos allectos*. Campus actionis servi publici non solum erat collegium, sed etiam *familia*, quae notio in hoc contextu *communitatem universalem servorum* significat. Apud Christianos familia Theodisce «Gesinde» significabat. In gremio familiae e.g. ad servum cultus Larum pertinebat. In initio Larum cultus munus erat patris familias; decursu temporum munus delegatum est libertis servisque. Qui cultus nil habebat religiosi, familiae tantummodo inserviebat corroborandae.

Cultus deorum maiorum, i.e. Iovis, Iunonis, Minervae, Apollinis, Martis etc., non erat campus actionum servorum, cum nullae essent necessitudines inter servos deosque maiores propter nimiam distantiam inter utrumque. Ceterum servi non admittebantur ad sacra publica.

Apud Christianos «Lares» significabant

«domum». In Laribus colendis ordo socialis nullius erat momenti; praecipue agebatur de compensatione sociali.

In familiis et collegiis «fides» et «religio» notiones erant sine ullo pondere. Romanus ingenuus defunctus non redibat ad «mortuos familiae», sed ad «divos parentes».

Auctoritas sive competentia servorum quoad deorum cultum ad minores ergo tantummodo pertinebat deos: Silvanus et a libertis colebatur et a servis, magnam partem in collegiis funeraticis quoque invocari solebat, servator aestimabatur servorum, deus rusticus, incultus, male vestitus, imago faecis Romanae. Deus igitur strati, non ordinis.

Dionysus quoque adorabatur a servis, deus vini et fertilitatis, deus servorum. Servi generaliter ac libentissime deos colebant ad homines pertinentes collectivos, e.g. in familia rustica. Templis illius dei vix exstantibus in domibus divitum cultus dei locum habebant ad quos servi quoque admittebantur.

Fortuna primigenia ab omnibus Romanis invocabatur, praecipue autem a servis, quia illa dea «omnia uno ictu mutare valebat». Cultus deae, quae generatim una cum rota repraesentabatur, nil habebat religiosi.

Mithras in initio servorum quoque erat deus, cuius asseclae inter se «fratres» vocabantur. Decursu autem temporum plus minusve *tutela collegii* factus sive mutatus est. Servi autem ac feminae mox non iam admittebantur ad illum cultum nullo modo democraticum. Deus exin factus est militum, veteranorum, ingenuorum, imperatorum, magistratum. Praecipue colebatur a militibus limitaneis, i.e. qui in finibus extremis imperii Romani stationem habebant.

Sed haec hactenus. Repetamus: apud Romanos servi generatim arcebantur a cultu publico (quia pars erat civitatis), admittebantur autem ad sacra privata. Servus generatim res habebatur, in campo religioso persona habebatur, ibi sui iuris erat, ante deos ingenuus et servus erant aequales. Dei publici (= dei maiores) fundamenta erant ordinis socialis. Servi peregrini in initio sua colebant numina orientalia. Decursu temporum normas Romanas imitantes ac adoptantes conscientiam evolverant collectivam. Inter servos Romanos numquam exstabat vera religio, quia non nesciebant se libertatem nullo modo assecuturos esse religione, sed manumissione tantum domino curante. Servitus pars erat ordinis socialis. Magistratus actiones sodalitatum tolerare solebant dummodo ne ordo socialis ab iis perturbaretur. (cfr F. Bömer, *Untersuchungen über die Religion der Sklaven in Griechenland und Rom*, Vol. II, Wiesbaden, 1958, pp. 383 sqq.) ☛

LATINE LOQUI ...

SEMINARIA SOCIETATIS LATINAE

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

Geldoniae (Jodoigne) in Belgica a die 17 in diem 24 mensis Augusti a. 1997

in vetere domo, olim parvo palatio, nunc internatu scholari, quae circumdata est viridario privato et pulcherrimo et quietissimo et ingenti (52 hectareae ad Latinas ambulationes meditationesque faciendas)

Scribatis ad: Gaium Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles



Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 27 mensis Iulii in diem 2 mensis Augusti a. 1997

supra lacum «Quattuor regionum»

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
D-66041 Saarbrücken

FERIAE LATINAE

Feriae Latinae sunt a Dre Suitberto Siedl institutae. Moderatores eas fieri volunt «Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo...»

Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 24 in diem 31 mensis Augusti a. 1997

Scribatis ad: Clementem Desessard
Résidence des Collines, C9
500, rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

NONUS CONVENTUS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Granivici (Jyväskylä) in Finnia a die 6 in diem 13 m. Augusti a. 1997

Scribatis ad: Congressus ALF secretariatum
P.O. Box 35
SF-40351 Jyväskylä

IN AMERICA

Conventiculus Latinus

Lexintoniae (Lexington) in Kentuckia a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1997

Eo in primis proposito congregabuntur participes, ut peritiam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur

Scribatis ad: Terentium Tunberg
Department of Class. Languages
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky
Lexington KY, U.S.A.
clatot@pop.uky.edu

Septentrionale Americanum Latinitatis Vivae Institutum (SALVI)

a grege professorum litterarum Latinarum studentiumque Angelopoli Californianae conditum est, quod Latinitatem vivam ubicumque in America septentrionali foveat. (<http://www.latin.org>)

Scribatis ad: scriba@latin.org